

[Gretser] - Mecoenas Studiosorum Pauperum 1620





MECOENAS STVDIOSORVM PAVPERVM, siue CAVSÆ, CVR ADOLESCENTES PIORVM LIBERALITATE ADIVVANDI SINT, QVOS PROPRIA EGESTAS A LITTERARVM STVDIIS ARCET.

Auctore quodam è Societate IESV *Theologo.*



Permissu Superiorum.

AVGVSTAE VINDELICORVM,
apud Saram Mangiam Viduam.

M. DCXX.

PIO LECTORIS.

Jacob Gretser




PLuribus abhinc annis, quidam è Societate IESV Theologus, multorum rogatu, hunc, quem epigraphe præ se fert, Mecœnatem cõscripsit; eo quidem fructu, quem non solùm in pluribus Academijs ac Gymnasijs eiusdem Societatis, bene magnus Studiosorum pauperum numerus gratissimis animis liberaliter nunc percipit, atq; vt sperandum, in dies magis percepturus est, sed etiam, qui in magnam Christianæ Reip. vtilitatem vberrimè redundat. Permultos enim tali piorum subsidio ac liberalitate in studijs adiutos, varijs in locis numerare licet, qui in eos euasêre viros, vt magnâ pietatis & doctrinæ laude, insignem nunc DEO, & ipsius Ecclesiæ in animarum salute procuranda præstent operam, haud absq; suorum Mecœnatum perpetuâ apud bonos omnes commendatione, laudatissimaq; memoriâ, &, quod caput est, eorundem, apud DEVM bonorum omnium remuneratorem, maximo merito. Verùm quia huius opusculi exemplaria, cum alijs, qui sæpe vehementer ea expetebant, laboriosiùs huc vsque calamo communicari poterant, imò ob amanuenses minùs doctos, varijs mendis obnoxia magis reddebantur, non defuerunt, qui illa (vtpote communi luce non indigna) typis euulganda censuerunt, cùm vt illorum lectio gratior, vsusq; latior, tum etiam vt his ipsis Studiosis pauperibus, apud piorum mentes inde permouendas, vtilior foret. Augustæ Vindel. 12. Martij, ipso S. Gregorij pauperum Patroni festo die, Anno 1620.

INDEX

 42.



INDEX CAPITVM.



2

MECOENAS STVDIOSORVM PAVPERVM,

Siue

Causæ, cur Adolescentes piorum liberalitate adiuuandi sint, quos propria egestas à litterarum studijs arcet.



DVOBVS modis opem ferre licet adolescentibus, quos egestas remoratur, quò minus liberalibus disciplinis vacent: Primò, si quis illis suppeditet eleemosynam, eo pacto, quo alij pauperes, piorum liberalitate adiuuantur & recreantur: siue illa eleemosyna sit hebdomadaria, siue menstrua, siue annua, siue semel duntaxat subministrata siue sæpius repetita. Secundò, si eleemosynam illam conferat quis ad aliquam fundationem pro huiusmodi adolescentibus instituendam: & de hoc potissimùm adiuuandi modo in hoc opusculo agemus, eumque ex varijs capitibus longè fructuosissimum, & priori etiam præponendum esse; breuiter demonstrabimus.

CAPVT PRIMVM.

Contribuere aliquid ad fundationes pro egenis adolescentibus instituendas, maximè pium & salutare esse, probatur primùm ex communi ratione eleemosynæ.

PRincipio igitur, vt subsidium hoc eleemosyna est, ita & eleemosynæ laudem, præstantiam, merita & vtilita-

vtilitates complectitur. Quæ licet variæ sint, rectè tamen triplices à Theologis statuuntur. Nam primò, eleemosyna actus virtutis est, & quidem præstantissimæ, nimirum misericordiæ. Secundò, vim habet merendi, si ex gratia & charitate fiat. Tertiò, vim habet satisfaciendi pro peccatis. Quæ tria eleemosynæ comoda quemvis Christianum meritò inducere debent, vt studium eleemosynæ largiendæ amet; nam, cùm eleemosynam dat, misericordiæ & beneficentiæ actus exercet. *Misericordia verò & beneficentia,* inquit præclarè sanctus Gregorius Nyssenus, *virtutes sunt Deo gratissimæ, quæ si cuius animum incoluerint, eum diuinum efficiunt, & summo illi bono quàm simillimum reddunt, adeo ut prima illius atque immortalis & rationem omnem superantis naturæ decoretur imagine.* Nyss orat. 1 de paup amandis.

Et Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Nulla omnino res est, quæ Dei beneuolentiam perinde conciliet ac misericordia, quandoquidem nec quidquam est, quod Deo congruentiùs offerri possit: utpote quem misericordia & veritas antecedant, eiq́ misericordia ante iudicium offerenda sit, nec ulli alij rei potius quàm humanitati & commiserationi commiseratio & humanitas ab eo rependi solet, qui summa æquitate quemq́ remuneratur, atq́ in lance & mensura misericordiam constituit.* Hæc diuinus ille Pater; qui & per misericordiam hominem Deum effici ait, cùm ad misericordiam his hortatur verbis: *Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando. Nihil enim tam diuinum homo habet, quàm de alijs bene mereri; tametsi hic maiora, ille minora beneficia conferat; uterq́ nimirum pro suis viribus.* Nazianz. orat de paup. amore.

Præterea misericordiæ encomia & emolumenta, quæ cùm ex sacris literis, tum ex sanctorum Patrum monumentis adferre liceret, suffecerit illud Dei per Prophetam oraculum, à Redemptore nostro repetitum: Osee 6.

Matth. 9 *Misericordiam volo & non sacrificium*: Vbi Dominus actum virtutis misericordiæ, præfert actui religionis, & quidem excellentissimo actui, videlicet sacrificio: quod, vt obseruatione dignissimum obseruauit Christus Dominus, cùm Pharisæos, vt hoc Dei dictum intimis pectoribus insculperent, monuit; *Euntes*, inquiens, *discite, quid sit, misericordiam volo & non sacrificium*: Quod illis dixit, omnibus dixit, *Euntes discite*. Qui enim hoc discet, is intelliget tantopere misericordiam à Deo amari, vt secundùm opera misericordiæ vltimam illam in extremo iudicio sententiam sit pronunciaturus: *Esuriui, sitiui, hospes* Nyss. orat. 1 de paup. amand. *eram, nudus & infirmus, & in carcere: quod uni eorum fecistis, mihi fecistis, idcirco*, inquit, *venite benedicti patris mei*.

Habet præterea eleemosyna vim merendi, (si ex gratia procedat) omnia illa, quæ sub meritum cadunt; vt vitam æternam, augmentumq; gratiæ acceptæ, imò & bona temporalia, quantum quidem ad beatitudinem consequendam necessaria sunt. Maximè autem meretur misericordiæ actus diuinam misericordiam. nam *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur*. vt enim ex igne calor sequitur, tanquam proprius ac natiuus effectus, ita ex eleemosyna pauperibus misericorditer erogata, sequitur tanquam inseparabilis effectus, Dei erga nos misericordia, ita vt Deus misericordibus misericordiam tanquam meriti mercedem rependat.

Nam vt pulchrè ait D. Gregorius Nyssenus: *Quemad-* Nyss. orat. 5 de beatitud. *modum artis exacta proba, vera, certaq; specula tales vultuum ostendunt effigies, qualescunque ipsi vultus sunt, hilares quidem alacrium; demissos autem, obscuros, & iniucundos mærentium ac tetricorum: nec speculi naturam aliquis culpare possit, si tetra & inamœna repræsentata fuerit effigies; ita iustum quoque Dei iudicium nostris affectibus assimilatur, qualiacunque à*

nobis

nobis commissa fuerint tales nobis de suo præbens retributiones, venite, inquit, *benedicti: & ite maledicti; Et quæ necessitas externa in his est, quæ ad dexteram collocatis iucundam, ad sinistram verò stantibus acerbam vocem attribuat? an non hi quidem propter ea, quæ fecerunt, misericordiam consecuti sunt: illi verò quòd aduersus proximos immites & inhumani fuerunt, sæuum & immite sibi ipsis diuinum numen reddiderunt?*

Cùm ergo actus eleemosynæ, quem homo iustus exercet, sit meritorius, satis hinc etiam eius dignitas elucescit; cùm Deus ad compensationem meriti ex iustitia obligatus sit, ita vt debitam mercedem ei negare nec velit nec possit; quippe in promissis & obligationibus fidelissimus, & vt à natura sua desciscere, ita & fidem datam fallere nescius.

Tertiò dicebamus eleemosynam habere vim satisfaciendi pro peccatis, imò & peccata remittendi: quę eleemosynæ vis cùm à scriptura, tum à Patribus frequenter celebratur, hominumq; oculis subijcitur. Omittamus in præsenti Patres, scripturam audiamus. *Eleemosyna est, quæ purgat peccata.* Tob. 12. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Eccles. 3. Daniel propheta Regi Nabuchodonosori hoc consilium dedit: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperū*, Dani. 4. Et Christus Dominus Lucę 11. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Tob. 4. *Eleemosyna viri, gratiam hominis, quasi pupillam, conseruabit.* Ecclesiast. 29. Quæ sententię, licet non promittant remissionem peccatorum mortalium, quoad culpam, sine contritione aut confessione: promittunt tamen remissionem aliquam actibus eleemosynæ. *Primò*: quia actus misericordiæ peculiariter valent

valent ad expiandas pœnas peccatis, quoad culpas, remissis adhuc debitas. *Secundò*, quia eleemosyna tanquam Sacramentale quoddam, peccata venialia, quoad culpā & pœnam, ex opere operato abolet, vt grauissimis Theologis placet. *Tertiò*, quia licet quis ex Condigno mereri nequeat iustificationem primam, peccatorumq; abolitionem, tamen adeo efficax est eleemosyna, vt qui ex pietate & propter Deum frequentes eleemosynas largiuntur, plerumq; à Deo conuertantur, & remissionem peccatorum suorum obtineant, etiamsi eas eleemosynas in mortali peccato fecerint; præsertim *si peccent ex fragilitate, & non ex contemptu aut malitia.* De omni enim misericordia pronunciauit illud Salomon, Prou. 14. *Qui pauperis miseretur, beatus erit.* Et Dominus, Matt. 5. *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Vbi nullus excipitur, sed generatim de omnibus, qui misericordiam amant & exercent, asseritur, eos misericordiam consecuturos, quantum scilicet est ex parte subsidij & auxilij diuini, quod propter eleemosynas tam copiose subministrari solet, vt tandem ordinariè conuertantur, nisi nimis pertinaciter eiusmodi auxilijs & incitamentis diuinis resistant. Et si, quod quidam graues Doctores tradunt, (nominatim sanctus Bonauentura 2. d. 28.) iustus de Congruo mereri potest, vt, si in peccatum incidat, misericorditer à Domino erigatur, & in statum gratiæ recipiatur, id certè maximè per eleemosynas tantoperè à sacris litteris commendatas fieri censendum est; vt & illud, quod itidem magnis Doctoribus placet, perseuerantiam vsque ad finem cadere sub meritum de Congruo: Eleemosynis enim & misericordijs pauperum præcipuè videtur tantum donum obtineri.

Vide Greg. de Valentia Tom 2. 4 Disput. 7. de pænit. Q 4 p. 1.

Barnes 22. q 32 a. 4. qui ait hāc esse communem Theologorum sententiam.

Vide Valent. Tom. 2 Disput. 8 de Gratia Q 6. p. 4. §§. 4.

Cùm igitur beneficentia hæc, qua Scholastici inopes

adiuuan-

adiuuantur, eleemosyna sit, planè sequitur, in ea etiam eleemosynæ præstantiam reperiri, vt scilicet sit actus misericordiæ, meritum & satisfactio, seu emundatio & expurgatio à peccatis, eo, quo diximus modo: vt proinde verissimum sit, quod Diuus Gregorius Nyssenus ait his verbis: *Multiplex & copiosus gignitur fructus ex eleemosyna:* Cuius admonitioni quis pius non obtemperet, cùm ita quemlibet cohortatur? *Sere beneficium, ut metere possis fructum, & bonis manipulis domum replere. At enim te quoq; pauperem dices: Esto: attamen dato, Da quod habes: neq; enim suprà vires tuas quidquam abs te requirit Deus. Ei, cuius beneficio plura habes* (clamat alius Gregorius:) *aliquid dato. Nam hoc ipsum quoq; accipere est Deo aliquid donare. Quantumuis erogaris, plura tamen tibi reliqua erunt, nec quidquam quod ad te propriè pertineat, daturus es; quandoquidem omnia à Deo manant, Deo gratitudinis ergò aliquid tribue, quòd ex eorum es numero, qui de alijs bene mereri possunt, non qui aliorum beneficentia opus habent, quòd non ex alienis manibus pendes, sed ex tuis alij.*

Nyss. orat. de paup. amand.

Nazian. orat. de pauperibus amand.

Cùm ergo contribuere aliquid ad Seminaria pauperum instituenda, vera sit eleemosyna, vimq; eleemosynæ habeat, sequitur hanc ipsam eleemosynam orationi & ieiunio anteponendam esse. Est enim vera Sancti Thomæ & aliorum Theologorum sententia, qui tradunt, eleemosynam longè esse efficaciorem, quàm aut orationem, aut ieiunium. Primò, quia eleemosyna virtute continet orationem, quatenus alterum ad orandum, & alia bona opera exercenda obligat. Secundò, quatenus est oblatio quædam Deo, vel proximo propter Deum facta; oblatio autem Deo facta, habet vim orationis. Eadem eleemosyna virtute continet ieiunium. Nam qui eleemosynam largitur, subtrahit sibi bona externa, quibus ipse

S. Thom. 4 d. 15. q. 2 a 2. Rich ibid. a 2. q 3.

 frui

frui potuisset. Nec dubium esse debet, quin eleemosyna etiam præstet peregrinationibus, quæ vel ex religione erga Deum, vel ex obseruantia erga Cælites suscipiuntur: cùm virtutis misericordiæ ea sit excellentia, vt non modò cum virtute religionis, sed etiam cum ipsa charitate comparari queat, & in nonnullis etiam palmam ferat. Neque tantæ promissiones peregrinationibus in sacris litteris factæ sunt, quantæ eleemosynæ & beneficentiæ.

CAPVT SECVNDVM.

Eleemosynam, qua egeni iuuenes sustentantur, esse, per se loquendo, Deo gratiorem, & vtiliorem; quàm sit eleemosyna alijs egenis collata.

ETsi omnis eleemosyna cuicunque inopi liberaliter collata, Deo placeat, & fructus vberes pariat; hanc tamen, de qua agere instituimus, Deo gratissimam & variarum vtilitatum feracissimam esse, non pauca occurrunt, quæ planum testatumq; faciant. Primùm enim negari non potest, magni referre, vt Ecclesia viris doctis & pijs abundet, & ab his Reipublicæ & Ecclesiæ salutem non parum pendere constat: non enim vanum est illud Sapientis oraculum: *Multitudo sapientum, sanitas est orbis terrarum.* Igitur quàm chara & grata est Deo Ecclesiæ Catholicæ integritas & sinceritas, tam charam & gratam oportet esse eidem illorum beneficentiam, qui, ope sua, Reipublicæ Christianæ tales viros educant; efficiuntq; vt adolescentes, studia, quæ vel nunquam inchoare potuissent, vel certè inchoata deserere ob pecuniam, coacti fuissent, prosequi, & ad finem optatam perducere queant. Quàm multos enim videre licet doctrina & pietate præstantes, qui eruditione sua & probitate, Christiano

Sap. 6.

orbi

orbi maximas vtilitates & attulerunt, & etiamnum afferunt; quorum beneficijs Respublica careret, si aliorum munificentia adiuti non fuissent, vt eò doctrinæ & virtutis procederent. Quæcunq; ergo tales postmodum merita, siue in politicam, siue in Ecclesiasticam Rempublicam conferunt, eorum fructus ad eos redundat, qui talem opibus suis sustentauerunt, &, vt in virum talem euaderet, stipe benignè collata, effecerunt. Nec vereor dicere, talem, eleemosynâ suâ omnium causam esse, & pro causa etiam apud Deum reputari, eidemq;, vt primo auctori omnium huiusmodi rectè factorum, mercedem in cælo copiosam repositam asseruari. Hîc enim vel maximè tritum illud apud Philosophos dictum valet: *Quidquid est causa causæ, est etiam causa causati.* Si enim quis alteri ad scelera opem ferens, eorundem criminum, & pœnæ criminibus illis debitæ sese participem reddit; cur, si cui ad rectè facta, & ad multa in Rempublicam merita conferenda manum porrigat, eorundem meritorum & præmij meritis illis decreti communione priuetur? Quo certè solatio caret ille, quisquis alios egenos iuuat. Nam beneficium illud priuati vnius aut alterius emolumentis circunscribitur, nec ad alios diffunditur, aut si diffunditur, tam longè lateq; non diffunditur, atq; tuum illud, cuius tu per eleemosynam egeno quondam iuueni, nunc docto viro, collatam, auctor es. Doctis enim plerumque publica munia committi solent, vt institutio iuuentutis, & id genus alia, ex quarum functionum recta administratione quantæ ad humanam societatem vtilitates redeant, nemo est qui ignoret, nisi qui vim & decus doctrinæ & pietatis efficacitatem ignorat.

Vt igitur rem in pauca conferam, cùm egeni adolescentes de quibus loquimur, sint litterarum & pietatis

candidati, & à magistris suis in vtroq; studio, pari conatu informentur; Deo rem gratissimam, & Reipublicæ fructuosissimam feceris, si hos ea, qua potes, ope adiuueris, non sine tuo lucro. Verè enim Tertullianus: *lucrū est, pietatis nomine facere sumptum*; si nomine cuiusuis pietatis, quantò magis lucrum erit, facere sumptum nomine pietatis eruditæ?

In Apolog.

Secundò, ideo hæc eleemosyna Deo acceptior, & Reipublicæ vtilior est, quia tales iuuenes plerunq; sacerdotium suscipiunt, & eo etiam potissimùm fine aluntur, litterisq; & pietate excoluntur; vt quandoq; in album Ecclesiasticum relati, Deo & Ecclesiæ ministrent. At quem fugit, quanti intersit, vt sacerdotes bene instituti populo Christiano præsint? Quem fugit, quàm gratum Deo sit, si res diuina manu & mente intacta tractetur, oues q; Christi salutari doctrinæ pabulo pascantur? Quæ duo vel nemo, vel certè sacerdos non indoctus, & à pietate non auersus, præstabit, si eius inopiam ære tuo subleues, dum pietati & litteris operam nauat, vt cæpta prosequi, & ad sacros Ordines aspirare possit; sicque rursus fructum tot precationum, quas sacerdos fundit, tot sacrificiorum, quæ Deo immolat, tot animarum, quas ex diaboli faucibus ereptas Deo lucri facit, tuum facies, & non exiguam partem, tanquam tibi iure optimo debitam, decerpere poteris, quod commodum non est quòd tibi pollicearis, si alijs benignè facias. Quin & hoc non parum solatij gignit, quòd tales iuuenes à teneris paupertati, victusq; tenuitati assueti, faciliùs postea adducuntur, vt in pagis parochias tenuiores suscipiant, susceptasq; fideliter curent. Nusquam enim vigilantium Pastorum maior est caritas & raritas, quàm in pagis, & tamen nusquam, propè dixerim, maior est necessitas, ob

corum,

torum, qui ruri degunt, inscitiam, rerumq; diuinarum imperitiam. Quare longè vtilissimum est horum etiam saluti procurandæ Pastores formare & educare; vt sicut iam multis in ciuitatibus reperire est pios & doctos sacerdotes, ita & pagis non absimiles præficiantur, qui amplis reditibus proximi salutem & spiritualem animarum prouentum anteponant, paucis viuere docti, & mediocritate sua contenti.

At dicet forte quispiam: Istos sæpe spem fallere, nec expectationi conceptæ respondere, ac proinde eleemosynam malè apud eos collocatam esse. Respondeo, propter incertos euentus non posse prudenter quempiam ab opere bono & laudabili desistere, alioqui nec alijs egenis eleemosyna danda erit, quia sæpe ea sunt indigni, quippe improbi: sæpe ea ipsa stipe, quam acceperunt, abutuntur, ad lusum aut potum, & tamen, non obstante hoc periculo, eleemosynas largimur, non ignari nos mercedem à Domino accepturos ob misericordiam in proximum, quomodocunq; tandem illâ beneficentiâ, præter voluntatem dantis, ipse abutatur. Idem & hic cogita. Vt igitur agricolæ boues iungunt, terram proscindunt, semina sulcis committunt, licet non nesciant sæpe accidere, vt grando segetes contundat, aut aliud infortunium spem anni intercipiat: ita & is, qui bonorum operum sementem facit, absterreri non debet futuris casibus; cum certissimus sit, vtcunq; res cadat, ex parte eius, qui eleemosynam accipit, sibi apud æquissimum illum iudicem beneficentiæ præmium esse repositum. Quo circa huiusmodi formidinem, vt vanam, ex animo exterminemus, & vt Apostolus monet, *seminemus in benedictione, ut etiam in benedictione metamus*: *Multiplex spica ex tali semente pullulabit*, inquit sanctus Gregorius Nyssenus. *Ampla est Do-* 1. Cor. 9. Nyss orat. 3.

mini mandatorum seges, sublimes benedictionis stirpes. Vis intelligere in quantam altitudinem extollatur harum stirpium incrementum? ipsos cæli vertices attingunt: quidquid enim in hoc contuleris, in cæli thesauris conditum inuenies.

Secundò, cùm multi ex huiusmodi adolescentibus, expectationi satisfaciant, causæ nihil est, cur potiùs malæ, quàm bonæ frugis futuros arbitremur, præsertim cùm æquitatis regula nos potiùs bene, quàm malè sperare iubeat. Et qui tam pauidus est, vt sinistrum euentum vereatur, is eleemosynam suam non vni applicet, sed ad fundationem contribuat, ex qua plures ali consueuerint, vt si vnus vel alter spem fallat, alius, vel alij spem egregiè sustineant, quod semper contingit, vbi plures ex pecunia in commune collata educantur, vt paulò post fusiùs exponemus.

Sed sunt qui putent satius esse eleemosynas templis instaurandis ornandisq; tribuere. At isti non aduertunt, summum & præclarissimum templi ornamentum, esse sacerdotem pium & doctum, quod ornamentum per eleemosynam istam templis conciliat. Quid enim templum magis decorat, imaginesnè aut statuæ, aut sacræ vestes, an sacerdos doctrina & pietate conspicuus? Quę lampas magis in templo lucet, quàm sacerdos, verè sacerdos? Quæ sarta tecta, qui calices, quę sedilia, qui annui prouentus cum hoc comparari possunt? Quos ergo amor templorum exornandorum, renouandorum, vel etiam locupletandorum tenet; ij tum maximè exornabunt, renouabunt & locupletabunt templa, si ijsdem egregios sacerdotes submittant. Quę enim diuitiæ magis ditant templa, quam sacerdos pius, prudens, humilis, pudicus & doctus? Verè Salomon: *Pretiosi spiritus vir eruditus.* *Prouer. 17.*

Idem

Idem responsum sit ijs, qui arbitrantur satius esse eleemosynas Religiosorum domicilijs conferre, vt sustententur & decorentur: nam à proposito suo non aberrabit, licet his adolescentibus benignè faciat. Multi enim ex illis ad varios Religiosorum hominum Ordines transeunt, eosq; doctrina & vitæ probitate non parum ornant, & sustentant. cuius ope, nisi tua qui opem tulisti?

CAPVT TERTIVM.

Deo gratius & Reipublicæ utilius esse, siquid eleemosynæ contribuatur ad fundationem in communi pro multis, quàm si eleemosyna sine perpetuitate conferatur.

BEneficium quò diutiùs durat, & ad plures pertingit, eò grandius & fructuosius est. Ergo cùm ea, quæ ad fundationem conferuntur, semper durent, nec ad vnum aut alterum duntaxat, sed ad plurimos vtilitate sua redundent; nullum dubium relinquitur, quin eleemosyna ad fundationem collata, Deo sit gratior, propriæ saluti quæstuosior, & Ecclesiæ vtilior, quàm quæ huic aut illi egeno datur sine huiuscemodi stabilitate: nam hæc àbit & diffluit, si non citiùs, certè cum vita eius, qui beneficium accepit, nec ad posteros vel illius vel tuos manat.

At eleemosyna fundando seminario Studiosorum iuuenum contributa, constanter permanet, etiam post funera, nec exhauriri potest, sed inexhausta perseuerat. Est enim instar ligni, *quod plantatum est secus decursus aquarum quod fructum semper suum dat in tempore, nec folium eius unquam defluit*: Et postquam hic vel ille adolescens tua liberalitate adiutus est, vt & ad pietatem & ad doctrinam Psal. 1.

enitere-

eniteretur, alius succedit, qui tuo beneficio, recens recenti adhuc, & inconsumpto vtitur, non secus ac is, qui iam statione decessit, studiorum cursu confecto. Itaq; etiam, te non viuente, eleemosyna tua viuit, fructumq; multiplicem adfert, tibi in fructum (si forte adhuc eo in statu versaris, in quo alieno subsidio ad beatitudinem egeas) vel certè posteris tuis. Et hoc est talenta sibi credita ad vsuram dare, quod faciendum esse Dominus monuit, & non modo quinque talentis, sed & vno alia quinque *superlucrari*. Nec cogitandum est, eos tantùm fructus ex fundatione redundantis participes fieri, qui grandem pecuniæ summam contribuunt, quia volunt & possunt: non autem illos, qui pro modulo suarum facultatum tantum, quantum possunt, largiuntur; nam vt omnes contributione sua fundationem constituunt & integrant; ita omnes emolumenta eius percipiunt. Et vt maior pecuniæ summa fructuum partem ad eum deriuat, à quo profecta est: ita & minor tua partem tuam ad te transmittit: nec vlla pars tam minuta est, quę non operetur fructum in vitam æternam mansurum. Quid, quòd charitas piusq; affectus paruitatem doni insigni accessione augere potest. *Nonne vides*, inquit sanctus Gregorius Nyssenus, *pauperis illius viduæ quadrantem diuitum munera superasse? illa enim quidquid habebat exhausit, cùm ex horum copijs vix pusillum quiddam exciderit!* Nyss. orat. 1.

Tabernaculi olim iussu diuino confecti & fundati laudem fructumq; tulerunt non modò ij, qui aurum & argentum contribuerunt, sed &, ij qui pelles, pilosq; caprarum. non omnia possumus omnes; omnes tamen possumus aliqua. *Ne Moyses quidem id, quod impendit in tabernaculum*, inquit Gregorius Nyssenus, *ab uno tantum homine accepit, sed ab uniuerso populo; alij enim aurum, argentum* Exod. 35.

alij,

alij ut magis minusuè diuitijs affluebant, obtulerunt: pauperes verò vel pelles, vel etiam caprarum pilos, si quis grauius inopia premebatur. Da ergo & tu, quod habes neq; enim supra vires tuas quidquam abs te Deus requirit. Quod Dauid ad Nabal: *Quodcunq; inuenerit manus tua, da seruis tuis*; hoc & quiuis à Deo sibi dici existimet, speratumq; fructum, eumque continuum, securus expectet. 1. Reg. 25.

Cùm Moyses tabernaculum fœderis, cuius paulò antè meminimus construere vellet, hac oratione ad populum vsus est: *Separate apud vos primitias Domino, aurum & argentum & as, hyacinthum & purpuram.* Qua cohortatione tantum effecit, vt, quòd sacræ litteræ testantur, *egressa omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysi*, obtulerit *mente promptissima atq; deuota primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi testimonij. Quidquid ad cultum & ad vestes sanctas necessarium erat, viri cum mulieribus præbuerunt, armillas & inaures, annulos & dextralia: omne vas aureum in donaria Domini separatum est.* Nec spiritus sanctus hanc populi alacritatem semel notasse contentus fuit, eandem iterum iterumq; prædicat: *Omnes viri*, inquit scriptura, *& mulieres mente deuota obtulerunt donaria; ut fierent opera quæ iusserat Dominus per manum Moysi. Cuncti filij Israel voluntaria Domino dedicauerunt*: imò, quotidie *mane populus vota offerebat*: vnde artifices venire compulsi dixerunt Moysi: *Plus offert populus, quàm necessarium est.* Si tanta alacritate populus, quisque pro sua copia, obtulit, & contulit, munera ad fabricandum tabernaculum diuino quidem cultui destinatum, sed tamen quandoque periturum & ruiturum, mirum certè esset, si Christianus adeo Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ vtilitatem in postremis duceret, vt ad tale tabernaculum, nempe ad perpetuum quoddam stabile, & constans pauperum ado-

lescentum, litterarum & pietatis studiosorum, contubernium, nihil conferre dignaretur.

Dicat quis; Etiam pium, laudabile & salutare esse liberalem manum ad xenodochia, nosocomia, gerontotrophia, & alia id genus miserorum domicilia dotanda extendere; item ad virgines tenuis fortunæ in matrimonio, dote constituta, collocandas.

Respondeo, neminem pium esse, qui hæc & similia neget esse pia. Sed tamen ob fructum longè maximum doctrinæ & pietatis, qui ex hoc, de quo agimus, instituto manat cùm ad ipsos iuuenes, tum per ipsos, tanquam per administros, ad Christianam Rempublicam, vicissim fatendum est, maioris meriti & emolumenti esse, hos iuuenes durabili aliqua & stabili stipe iuuare, quàm alios, quod libenter fatebitur, quisquis ea accuratiùs perpenderit, quæ capite secundo disputata sunt.

Accedit, quod vetera instituta, cuiusmodi sunt xenodochia, iam ipsa vetustate multos sibi patronos asciverunt, quorum munificentiâ perstant: at noua, quale hoc, tenera adhuc, pupillorum instar, vel maximè benefactoribus egent, donec adolescant & inueterascant. Porrò ex hoc ipso capite poterit quiuis colligere satius esse communitati seu seminario alicui perpetuos reditus assignare, quàm vni tantùm, nam plures, qui reditibus illis fruentur, minùs fallent spem, quàm quilibet sigillatim, licet sibi non interrupta serie succedant. Nam quilibet vnus est, ac proinde mutationi in deterius magis obnoxius, quàm plures.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Per eleemosynam ad fundationem pro egenis adolescentibus collatam, satisfieri posse præcepto naturali & diuino, de eleemosyna danda, itemque de satisfactione suscipienda.

SEntentia Domini est Matthæi 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Inter hæc mandata suum locum tenet quoque præceptum dandæ eleemosynæ: Esse enim eleemosynam naturali & diuino præcepto imperatam grauissimi Theologi sentiunt. Et ex his, sanctus Thomas secunda secundæ, quæstione 32. articulo 5. Et ante scholæ Theologos sancti Patres, ex quorum numero satis erit nominare sanctum Gregorium Nazianzenum, qui cùm in pulcherrima illa de amandis pauperibus oratione varias causas adduxisset, quibus quis induci potest & debet ad erogandam eleemosynam; adiungit tandem: *Nulla re nos magis moueri debere, quàm diuino mandato atque exemplo. Quod enim porrò hoc est mandatum?* inquit sanctus Gregorius. *Ac videte, quæso, quam constans sit minimeque fucatum. Neque enim hominibus spiritu sancto afflatis satis fuit, semel atque iterum de pauperibus sermonem habuisse: nec quidam duntaxat de his rebus verba fecerunt, reliqui minimè, aut alij copiosius, alij parcius, velut de re non ita magna, nec admodum necessaria; Verùm & omnes in vniuersum, & sedulò quisque, vel primùm, vel in primis ad eam rem nos cohortantur, nunc admonentes, nunc comminantes, nunc exprobrantes, nonnunquam etiam eos, qui hanc virtutem assequuntur, laudibus efferentes, nimirum ut assidua commonitione nos ad huius præcepti expletionem inflammeant.* Hæc ille.

Et quidem ad eleemosynam diuites obligari tunc, cùm egenus extrema necessitate laborat, extra contro-

uersiam est. Eosdem itidem obligari ad eleemosynam de superfluis erogandam, quando proximus non extrema, sed ea, quæ apud inopes ordinaria est, necessitate premitur, multi & magni nominis Theologi tradunt. Vt Sanctus Thomas, Caietanus & alij. Quod rectè colligunt ex illo Lucæ 11. Vbi Christus reprehendens Pharisæos, quòd intus essent pleni rapina & iniquitate; subiungit: *Verumtamen quod superest*, hoc est, quod superfluum est vobis, & quo sine incommodo carere potestis, *date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Idem rectè colligunt ex suprema illa sententia Matthæ: 25. *Esuriui enim & non dedistis mihi manducare, sitiui & non dedistis mihi potum.* Vbi Dominus non tantùm de extremis pauperum ærumnis, sed & de ordinaria fame & siti loquitur. Et nominatim ob hanc beneficentiam in pauperes neglectam, mittet Dominus hædos, hoc est, impios ad gehennam.

Ex quo sequitur, subleuationem alienæ miseriæ, etiam non extremæ, sub præceptum cadere; aliâs eius omissio & neglectus non imputaretur hominibus ad peccatum, & ob hoc ad pœnam: cùm peccatum non sit, nisi quod alicui præcepto aduersatur. Neq; hic gradum figunt rerum diuinarum & Theologicarum consulti. Addunt enim, ex præcepto diuino teneri quemlibet etiam de sibi necessarijs ad suum statum tuendum, erogare eleemosynam, cùm proximus graui necessitate vrgetur, licet necessitas illa non sit extrema: Hac tamen lege, vt si minori suo commodo possit auertere proximi incommodum notabiliter graue, quod sæpissimè vsu venire potest.

Cùm ergo tanta sit eleemosynæ dandæ obligatio, meritò quiuis salutis suæ amans, eam in intima præcordia demittit, & vt ei satisfaciat, sollicitè studet, & oblata occasione adimplendi hoc præceptum, vt hic certè of-

fertur

fertur, eam præterire non sinit, vel saltem sinere non debet: *Primò*, quia nemo ab hoc præcepto excipitur, cui eleemosynæ largiendæ facultas suppetit. *Secundò*, quia, qua est humana natura imbecillitate, forte sæpiùs iam à se hoc eleemosynæ præceptum per incuriam violatum est; compensa ergo iam quod neglexisti. *Tertiò*, non frustra quis vereri debet, ne vel propter hoc solùm præceptum non inter oues à dextris Christi, sed inter hædos à sinistris statuatur, neque audiat suauissimam illam vocem; *Venite benedicti*: sed tremendam illam; *Ite maledicti*. Vt enim alia præcepta ad vitam æternam necessaria obserues, hoc verò transgrediaris, salutem nunquam consequeris, non enim dixit Saluator: Si vis ad vitam ingredi serua vnum, aut aliqua, aut omnia, præter vnum, sed simpliciter omnia mandata? Et Apostoli oraculum est: *Quicunque totam legem seruauerit, offendit autem in uno, factus est omnium reus*. Iacob. 2. Quod si quis dicat se implesse hoc præceptum eleemosynæ: ei ob tantam gratiam iure optimo gratulamur, quòd tanti præcepti non est factus præuaricator. Addendum tamen, non satis esse implesse, sed semper, quoad præcepti obligatio durat, debere impleri: durat autem hæc obligatio, quamdiu pauperum necessitates durant, (quando autem non durant?) & quamdiu tibi etiam facultas suppetit, vnde eleemosynas largiaris.

Cum ergo eleemosynas dispertiri diuino præcepto iubearis, cur iubenti non obtemperes? Et si obtemperas, cur ad Scholasticos inopes partem tuæ beneficentiæ non deriues tot commodis & vtilitatibus huic misericordiæ tuæ propositis?

Deinde faciamus esse aliquem, qui non teneatur præcepto eleemosynæ, vel quia proximi egestas non est extrema, vel quia alij egenis succurrunt, vel quia nihil

 habet

habet superfluum, quod miseriæ alienæ depellendæ suppeditet: attamen quod vltrò & sine præcepto ex sola liberalitate datur, id itidem & Deo gratissimum, & cuiuis vtilissimum est. *Primò*, quia nihilominus est actus misericordiæ. Actus enim virtutum non modò tunc exerceri potest cùm præcipitur, sed & extra præcepti casum. *Secundò*, si sponte tua sine obligatione præcepti misericordiæ, egenum adiuuas, virtuti misericordiæ virtutem liberalitatis copulas, pulcherrimæ pulcherrimam. Et
2. Cor. 9. hoc propriè est, quod à Corinthijs requirebat Apostolus, vt *non ex tristitia, aut ex necessitate* egenorum inopiam subleuarent, sed sponte sua, nulla præcepti obligatione adacti: *Hilarem enim*, inquit, *datorem diligit Deus*. Ad
Eccles. 35. quam hilaritatem Spiritus Sanctus per Ecclesiasticum his verbis iam olim commonuerat: *In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas*: causamq; addit, cur quis hilariter & liberaliter sua in pauperes expendere debeat, *quia Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi*, Pro caducis enim æterna reddet, tum propter ipsius operis præstantiam, tum propter preces pauperum, quas hoc beneficio obligati pro salute tua ad Deum fundunt: Et hac ratione pauperum inopiam tua abundantia supples, & vicissim illorum abundantia tuæ inopiæ fit supplementum, vt *fiat æqualitas sicut scriptum est: Qui multum non abundauit, & qui modicum, non minorauit*.

CAPVT QVINTVM.

Contributiones & seminaria studiosorum adolescentum multum à legibus ciuilibus commendari.

Constantinopoli olim multa erecta visebantur domicilia pauperum & peregrinorum vsibus destinata. Hinc Xenones seu Xenodochia pro peregrinis, Orphano-

phanotrophia, pro pupillis alendis, Brephotrophia pro infantibus fortasse expositis, Gerontocomia pro senibus & decrepitis, Nosocomia, pro ægris, Prochotrophia, pro mendicis, & id genus alia, quibus singulis sui præerant œconomi; quos appellatione à loco petita appellabant xenodochos, orphanotrophos, prochotrophos, qualis fuit Xoticus ille, quem Iustinianus virum beatissimæ memoriæ nominat, eumq; primum huiusmodi pietatis officium inuenisse scribit. Huiusmodi habitacula egenorum, liberalitate piorum fundata, tanti fecit Iustinianus Imperator, vt non modò ipse multa condiderit: quod ex libris Procopij de Iustiniani ædificijs liquet; sed condita & fundata tam à se, quam ab alijs, partim plurimis nouis priuilegijs concessis, partim veteribus confirmatis exornauit. Quod si Iustinianus tanti hæc instituta, earumq; fundationes & dotationes fecit, quod exinde, vt ipse loquitur, *sustentatio vel educatio orphanis atq; egenis, & usibus Ecclesiasticis, ac prochotrophijs impertitur*: quanti fecisset domicilium constitutum & fundatum pro egenis Scholasticis (verè orphanis, quippe patrimonio & subsidio ad litterarum studia sectanda orbatis), quos sciret non ad alium finem educari, erudiri & informari, quàm vt litteris & pietate, quantum satis est, exculti, Deo & sanctæ Ecclesiæ eius inseruirent, cùm ex varijs Iustiniani Nouellis constet, quantum in id elaborarit, vt Ecclesijs & Ecclesiasticis functionibus digni & idonei ministri præficerentur? Cùm ergo totum hoc institutum, de quo agimus, hunc finem præcipuè spectet, satis apparet, etiam iudicio legum ciuilium, quàm bene de Ecclesia mereantur illi, qui huiusmodi institutum munificentia sua adiuuant & promouent: vt taceam sacros Canones, qui legata & donationes ad pias causas singulari fauore prose-

quuntur,

Vide l. Orphanotrophos. L. omnia C. de Episc.

Nouell. de Ecclesiast. Tit. St. fin. & de non alien. reb. Eccles.

quuntur, vt liquet ex capite *Relatum*, extra de testibus, & ex communi iurisconsultorum sententia. Dicitur autem *pia causa* quidquid præcipuè fit, Dei finisq; supernaturalis intuitu, ad gratiam vel gloriam coram Deo promerendam, vel in satisfactionem pro proprijs vel alienis peccatis. Cùm ergo Seminaria ista pauperum adolescentum erigantur & condantur ad Catholicæ Religionis propagationem & conseruationem, & ad omne pietatis genus serendum & amplificandum; negari non potest; quin, qui vel testamento aliquid tali Seminario legat, vel extra testamentum donat, is leget aut donet ad piam causam, quæ donationes à sacris Canonibus singularibus priuilegijs donatæ sunt: quibus, breuitatis causa, hic plura dicere supersedeo.

CAPVT SEXTVM.

Eos qui ad hæc seminaria aliquid contribuunt, rem Tridentino concilio Consentaneam facere.

SEd nescio, quibusnam Sacrorum Canonum scitis, Seminaria pauperum magis sint consentanea, quàm Sacrosancti Concilij Tridentini decretis, quibus vt Seminaria pauperum erigantur, præcipitur. Et licet id tantùm Episcopis, & Metropolitanis Concilium præcipiat, nemo tamen non videt, omnino ex mente Concilij fore, si alibi etiam, talia Seminaria ædificentur, & perpetuis prouentibus stabiliantur, cùm eadem sit ratio alibi, quæ in templis Cathedralibus, Metropolitanis, & his maioribus, vt videlicet non desint idonei Ecclesiæ ministri, & vt ab ineunte ætate ad pietatem & religionem iuuenes informentur, & in Ecclesiasticis disciplinis instituantur. Et certè Seminaria ista à norma, quàm concilij

Concil Tri dent. sess. 23. cap. 18.

Triden-

Tridentinum præſcripſit, non diſcedit. Vult enim Concilium vt *pauperum filij potiſſimùm eligantur*. Id hic fit, nemo enim admittitur niſi pauper. Vult Concilium, vt incolæ talis Seminarij *in claſſes diuidantur, iuxta eorum numerum, ætatem, ac in diſciplina Eccleſiaſtica progreſſum* Idem fit fietq; in his, quæ nos molimur, Seminarijs. Vult ſynodus, vt cùm ſuperioribus videbitur, *aliqui Eccleſiarum miniſterio addicantur, alij in Collegio ampliùs erudiendi retineantur, alijs in locum eductorum ſuffectis, ut hoc Collegium, Dei miniſtrorum perpetuum Seminarium ſit*. Idem & hic factitatur. Licet enim alicubi, qui in his domicilijs degunt, ad ſacros Ordines ſimpliciter non ſint obligati, pleriq; tamen eosdem ſuſcipere parati ſunt, & reipſa, cùm ætas & doctrina ſinit, ſuſcipiunt. Nam non multis annis ſacerdotes & religioſi non pauci ex his Seminarijs prodierunt. Vult Concilium, vt iſti *inſtituantur in Grammatica, cantu, computu Eccleſiaſtico, alijsq; bonarum artium diſciplinis. Item in ſacra ſcriptura, libris Eccleſiaſticis, in ratione tradendi Sacramenta, maximè in ijs, quæ pertinent ad confeſſiones audiendas*. Omnia hæc in plerisq; huiusmodi Seminarijs, extra Academias obſeruantur. Nam præter humaniores litteras, Dialectica, Caſus conſcientiæ, & nonnunquam controuerſiæ cum hæreticis perpetuò & accuratè explicantur.

Vult Concilium Tridentinum, vt *ſingulis diebus Miſſæ ſacrificio interſint, & ſaltem ſingulis menſibus confiteantur peccata, & iuxta confeſſoris iudicium ſumant corpus Domini noſtri* Iesv *Chriſti*. Omnia in his pauperum Seminarijs religioſè cuſtodiuntur.

Vult Concilium Tridentinum, *ut ipſi alumni ſæpiùs viſitentur: ut diſcoli & incorrigibiles ac malorum morum ſeminatores acriter puniantur, eos etiam, ſi opus fuerit, expellendo, &*

do, & omnia impedimenta sperati fructus auferendo, & diligenter curando, omnia illa, quæcunque ad conseruandum, & augendũ tam pium & sanctum institutum pertinere videbuntur. Hæc omnia in his Seminarijs, qua fieri potest vigilantia, præstantur.

Vult Concilium, *ut idonei Magistri his Seminarijs præficiantur*: speramus Seminarijs pauperum tam erectis, quàm erigendis, nunquam, diuina gratia, idoneos Magistros defuturos.

Vult Concilium, & seuerè præcipit, *ut reditus pro tali Seminario ex prouentibus Ecclesiasticis ab Episcopo aut Archiepiscopo colligantur.* Seminaria, quæ nos constituere cupimus, sola piorum liberalitate & misericordia nituntur, quam & implorant, & implorando merebuntur apud omnes illos, qui accuratiùs considerare volent, quantas Seminaria hæc vtilitates pariant, & quantopere Spiritus Sanctus per Concilium Tridentinum, singulis Deum salutemq; suam amantibus, hæc pauperum iuuenum domicilia commendârit.

Dicat quis: Non omnes, qui in tale Seminarium recipiuntur, officium facere: apud multos oleum & operam & eleemosynam perdi. At cùm suprà ostendi, eleemosynam recto animo collatam, nunquam perdi, sed reponi in illis thesauris, quos *nec tinea nec ærugo absumit, & quò fur non appropiat*. Deindè, quid mirum, si ex quinquaginta, sexaginta, aut septuaginta adolescentibus aliqui officium negligant? An non satis, si ex tanto numero triginta aut viginti optatum fructum ferant, Deoq; postea & Ecclesiæ fideliter inseruiant: quod quiuis prudens prudenter sibi polliceri potest. Si qui *discoli sint* & *incorrigibiles*, tum vtendum est remedio, quod Tridentinũ Concilium præscripsit. Neminem ergo hæc cogitatio

remo-

)omini sententiæ per-
.lentur: *Beati misericordes,*
consequentur. Non in postremis Matth. 5.
.isericordia, inquit sanctus Gre-
beatus qui intelligit super egenum &
.nignus vir, qui miseretur & com-
.retur & commodat. Benedictio-
.nctus Gregorius Nazianzenus,
nigni simus, ne nox quidem misericor-
.pat. Ne dixeris: Rediens redi, & crastino die
.ter propositum tuum & beneficentiam tuam
.m est beneficentia, quæ moram non patitur.
.s de constituendis, erigendis, & adiuuan-
.arijs seu domicilijs pauperum Scholasticorum;
.um, inquam, vtpote, in quæ soli pauperes aggre-
.ır, & more itidem pauperum in victu & vestitu ha-
ur atq; tractentur. Scimus in Academijs præcipuè
.naria studiosorum esse; sed quæ etiam pateant ijs,
.ibus res non est angusta domi, & quorum quotidiana
tractatio paulò melior est, quàm pro egenis. De huius-
modi Seminarijs, quamuis piè & laudabiliter institutis,
nobis non est sermo, sed de illis, quæ merè & verè pau-
perum adolescentum receptacula sunt; qui sortis suæ
memores, pauperum quoq; quotidiano victu &
amictu contenti viuant, studioq; virtutis &
eruditionis se totos impen-
dant.

FINIS.



